

totum: quia nondum erat tempus regalis; & perfecti sacerdotii. Et similiter etiam conversi rōduntur propter renuntiationem temporalium; sed non raduntur, quia non occupantur divinis ministeriis, in quibus divina oporteat eos mente contemplari.

Ad tertium dicendum, quod non solum debet significari temporalium abjectio, sed etiam regalis dignitas in forma coronæ: & ideo non debet totaliter coma tolli; & etiam ne indecens videatur.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod ministri Ecclesiæ à populo separantur ad vacandum divini cultui. In cultu autem divino quædam sunt quæ per potestates determinatas sunt exercenda; & ad hæc datur spiritualis potestas ordinis: quædam autem sunt quæ communiter à toto ministrorum collegio fiunt, sicut dicere divinas laudes; & ad hoc non præxiigitur aliqua potestas ordinis, sed solum quædam deputatio ad tale officium, & hoc fit per coronam: & ideo non est ordo, sed præambulum ad ordinem.

Ad primum ergo dicendum, quod corona habet interius aliquod spirituale quod ei respondet, sicut signum signato; sed hoc non est aliqua spiritualis potestas: & ideo in corona non imprimitur character, nec est ordo.

Ad secundum dicendum, quod quamvis per coronam non imprimatur character, tamen deputatur homo ad divinum cultum: & ideo talis deputatio debet fieri per summum ministrorum, scilicet Episcopum, qui etiam vestes benedicit, & vasa, & omnia quæ ad cultum divinum applicantur.

Ad tertium dicendum, quod ex hoc quod aliquis est clericus, est in altiori statu quam laicus; non tamen habet ampliorem potestatis gradum, quod ad ordinem requiritur.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod clerici in hoc quod coronam accipiunt, non renuntiant patrimonio, neque aliis rebus temporalibus: quia terrenorum possessio non contrariatur divino cultui, ad quem clerici deputantur, sed nimia eorum sollicitudo; quia, ut dicit Gregorius, Lib. X. Moral. cap. xvii. affectus in crimine est.

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus designatur pars fieri, ut ex æquo cum aliis diligatur, ita scilicet quod aliquis ponat finem suum in Deo, & in rebus mundi; non tamen designatur fieri pars eorum qui res mundi ita possident quod per eas à cultu divino non retrahuntur.

Ad secundum dicendum, quod levitæ in veteri testamento habebant jus in hæreditate paterna; sed ideo non acceperunt partem cum aliis tribubus, quod erant per omnes tribus dispergendi; quod fieri non potuisset si unam determinatam partem terræ accepissent, sicut alie tribus.

Ad tertium dicendum, quod si sint indigentes clerici ad sacros ordines promoti, Episcopus qui eos promovet, debet eis providere, alias non tenetur; ipsi autem ex ordine suscepto tenentur Ecclesiæ ministrare. Verbum autem Hugonis intelligitur quando non habent unde sustententur.

(1) Al. quia.

ARTICULUS II.

Utrum supra sacerdotalem ordinem debeat esse aliqua potestas episcopalis.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod supra sacerdotalem ordinem non debeat esse aliqua potestas episcopalis. Quia, sicut in littera dicitur, ordo sacerdotalis ab Aaron sumpsit exordium. Sed in veteri lege nullus erat supra Aaron. Ergo nec in nova lege debet aliqua potestas esse supra sacerdotalem.

2. Præterea. Potestates ordinantur secundum actus. (1) Sed nullus actus sacerdotis potest esse major quam consecrare corpus Christi, ad quod est potestas sacerdotalis. Ergo supra sacerdotalem potestatem non debet esse episcopalis.

3. Præterea. Sacerdos in offerendo gerit figuram Christi in Ecclesia, qui se Patri pro nobis obtulit. Sed in Ecclesia nullus est major Christo, quia ipse est caput Ecclesiæ. Ergo nulla potestas debet esse supra sacerdotalem potestatem.

Sed contra. Potestas tanto est altior, quanto ad plura se extendit. Sed potestas sacerdotalis, ut dicit Dionysius cap. v. eccles. Hierarch. extendit se ad purgandum, & illuminandum tantum; episcopalis autem ad hoc, & ad perficiendum. Ergo supra sacerdotalem potestatem debet esse episcopalis.

Præterea. Divina ministeria debent esse magis ordinata quam humana. Sed humanorum officiorum ordo exigit ut in quolibet officio præponatur unus qui sit princeps illius officii, sicut præponitur militibus dux. Ergo & sacerdotibus debet aliquis præponi qui sit sacerdotum princeps, & hic est Episcopus. Ergo episcopalis potestas debet esse supra sacerdotalem.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod episcopatus sit ordo. Primo per hoc quod Dionysius, ubi supra, assignat hos tres ordines ecclesiasticæ hierarchiæ, Episcopum, sacerdotem, & ministrum. In littera etiam dicitur, quod est ordo Episcoporum quadripartitus.

2. Præterea. Ordo nihil aliud est quam quidam potestatis gradus in spiritualibus dispensandis. Sed Episcopi possunt dispensare aliqua sacramenta, quæ non possunt dispensare sacerdotes, sicut confirmationem, & ordinem. Ergo episcopatus est ordo.

3. Præterea. In Ecclesia non est aliqua spiritualis potestas, nisi ordinis, vel jurisdictionis. Sed ea quæ pertinent ad potestatem episcopalem, non sunt jurisdictionis; alias possent committi non Episcopo, quod est falsum. Ergo sunt potestatis ordinis: Ergo Episcopus habet aliquem ordinem quem non habet sacerdos simplex; & sic episcopatus est ordo.

Sed contra, quia unus ordo non dependet à præcedenti quantum ad necessitatem sacramenti. Sed episcopalis potestas dependet à sacerdotali: quia nullus potest recipere episcopalem, nisi prius habeat sacerdotalem. Ergo Episcopatus non est ordo.

Præterea. Majores ordines non conferuntur nisi in sabbatis. Sed Episcopalis potestas traditur in dominicis. Ergo non est ordo.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod supra Episcopos non possit

possit aliquis esse superior in Ecclesia. Quia omnes Episcopi sunt Apostolorum successores. Sed potestas quæ est data uni Apostolorum, scilicet Petro, Matth. xvi. est etiam data omnibus Apostolis, Joan. xx. Ergo omnes Episcopi sunt pares, & unus non est super alterum.

2. Præterea. Ritus Ecclesiæ magis debet esse conformis ritui Judæorum quam ritui Gentilium. Sed distinctio episcopalis dignitatis, & ordinatio unius super alium, ut in littera dicitur, est à Gentilibus introducta; in veteri autem lege non erat. Ergo nec in Ecclesia Episcopus unus super alium esse debet.

3. Præterea. Superior potestas non potest conferri per inferiorem, neque æqualis per æqualem: quia sine ulla contradictione quod minus est, à meliōre benedicatur: Heb. vii. 7. unde etiam sacerdos non promovet Episcopum, neque sacerdotem, sed Episcopus sacerdotem; & Episcopus potest quemlibet Episcopum promovere, quia etiam Ostiensis Episcopus consecrat Papam. Ergo episcopalis dignitas in omnibus est æqualis; & sic unus Episcopus non debet aliis subesse, ut in littera dicitur.

Sed contra est quod legitur in Concilio Constantinopolitano, I. can. v. Veneramus secundum Scripturas, & canonem diffinitiones sanctissimum antiquæ Romæ Episcopum primum esse, & maximum Episcoporum; & post ipsum Constantinopolitanum Episcopum. Ergo unus Episcopus est super alium.

Præterea. Beatus Cyrillus Episcopus Alexandrinus (a) dicit: Ut membra maneamus in capite nostro apostolico throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est querere quid credere, & quid tenere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes præ omnibus quoniam ipsius solius est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, solvere, & ligare, loco illius qui ipsum edificavit; & nulli alii quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit: cui omnes jure divino caput inclinant, & primates mundi, tanquam ipsi Domino Jesu Christo obediunt. Ergo Episcopi alicui subsunt etiam jure divino.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod sacerdos habet duos actus: unum principalem, scilicet consecrare verum corpus Christi; alium secundarium, scilicet preparare populum ad susceptionem hujus sacramenti, ut prius dictum est. Quantum autem ad primum actum actus sacerdotis non dependet ab aliqua superiori potestate, nisi divina; sed quantum ad secundum dependet ab aliqua superiori potestate, & humana. Omnis enim potestas quæ non potest exire in actum, nisi præsuppositis quibusdam ordinationibus, dependet ab illa potestate quæ illas ordinationes facit. Sacerdos autem non potest absolvere, & ligare, nisi præsupposita prælationis jurisdictione, qua sibi subdantur illi quos absolvit; potest autem consecrare quamlibet materiam à Christo determinatam; nec aliud requiritur quantum est de necessitate sacramenti, quamvis ex quadam congruitate præsupponatur actus episcopalis in consecratione altaris, & vestium ejus. Et ita patet quod oportet esse supra sacerdotalem potestatem episcopalem quantum ad actum secundarium sacerdotis, non autem quantum ad primum.

(2) Al. majoribus. (3) Al. spiritualiter.

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Refert & ipse S. Thomas in opusc. contra Græcos cap. lxxviii. ut ex Libro Theauri; quamvis in iis Libris qui nunc extant, non habeatur; sed excidisse multos, ex Auctoribus passim constat: & alioqui quod Cyrillus de summo Pontifice præclarissime sit locutus, ex Concilio Florentino sess. vii. colligitur.

Ad primum ergo dicendum, quod Aaron sacerdos fuit, & pontifex, id est sacerdotum princeps. Sumpsit ergo sacerdotalis potestas ab ipso exordium, in quantum fuit sacerdos sacrificia offerens; quod etiam (2) minoribus sacerdotibus licebat; sed non ab eo in quantum fuit pontifex, per quam potestatem poterat aliqua facere, ut ingredi semel in anno in sancta sanctorum, quod aliis non licebat.

Ad secundum dicendum, quod quantum ad illum actum non est aliqua potestas superior, sed quantum ad alium, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod sicut omnium rerum naturalium perfectiones præexistunt exemplariter in Deo, ita Christus fuit exemplar officiorum ecclesiasticorum. Unde unusquisque minister Ecclesiæ quantum ad aliquid gerit typum Christi, ut ex littera patet; & tamen ille est superior qui secundum maiorem perfectionem Christum representat. Sacerdos autem representat Christum in hoc quod per seipsum aliquod ministerium implevit; sed Episcopus in hoc quod alios ministros instituit, & Ecclesiam fundavit. Unde ad Episcopum pertinet mancipare aliquid divinis obsequiis, quasi cultum divinum ad similitudinem Christi statuens; & propter hoc etiam Episcopus specialiter sponsus Ecclesiæ dicitur, sicut Christus.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod ordo potest accipi dupliciter. Uno modo secundum quod est sacramentum; & sic, ut prius dictum est, ordinatur omnis ordo ad eucharistiæ sacramentum: unde cum Episcopus non habeat potestatem superiorem sacerdote quantum ad hoc, non erit episcopatus ordo. Alio modo potest considerari ordo secundum quod est officium quoddam respectu quarundam actionum sacrarum; & sic cum Episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra sacerdotem, episcopatus erit ordo & secundum hoc loquuntur auctoritates inductæ.

Unde patet solutio ad primum.

Ad secundum dicendum, quod ordo, secundum quod est sacramentum imprimens characterem, ordinatur; (3) specialiter ad sacramentum eucharistiæ, in quo ipse Christus continetur, quia per characterem ipsi Christo configuratur: & ideo licet detur aliqua potestas spiritualis Episcopo in sui promotione respectu aliquorum sacramentorum, non tamen illa potestas habet rationem characteris: & propter hoc episcopatus non est ordo, secundum quod ordo est quoddam sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod potestas episcopalis non est tantum jurisdictionis, sed etiam ordinis, ut ex dictis patet, secundum quod ordo communiter accipitur.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod ubicumque sunt multa regimina ordinata in unum, oportet esse aliquod universale regimen supra particularia regimina: quia in omnibus virtutibus, & artibus, ut dicitur in I. Ethic. cap. i. est ordo secundum ordinem finium. Bonum autem commune divinum

nius est quam bonum speciale; & ideo super potestatem regitivam quæ coniectat bonum speciale, oportet esse potestatem regitivam universalem respectu boni communis; alias non posset esse colligatio ad unum: & ideo cum tota Ecclesia sit unum corpus, oportet, si ista unitas debet conservari, quod, sicut aliqua potestas regitiva respectu totius Ecclesie supra potestatem episcopalem, quæ unaquæque specialis Ecclesie regitur; & hæc est potestas Papæ: & ideo qui hanc potestatem negant, schismatici dicuntur, quasi divisores ecclesiasticæ unitatis. Et inter Episcopum simplicem & Papam sunt alii gradus dignitatum correspondentes gradibus unionis, secundum quos una congregatio, vel communitas includit aliam; sicut communitas unius provincie includit communitatem civitatis, & communitas regni communitatem unius provincie, & communitas totius mundi communitatem unius regni.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi, & solvendi; tamen ut in hac potestate ordo aliquis significaretur, primo soli Petro data est, ut ostendatur quod ab eo in alios debeat ista potestas descendere, propter quod etiam ei dixit singulariter, Luc. xxii. 32. *Confirma fratres tuos: & Joan. xxi. 17. Pasce oves meas, id est loco mei, ubi Chrysostomus (a) dicit Præpositus, & caput esto fratrum; ut ipsi te in loco meo assumant, ubique terrarum te in throno tuo sedentem prædicent, & confirment.*

Ad secundum dicendum, quod ritus Judæorum non erat diffusus in diversis regnis, & provinciis, sed tantum in una gente: & ideo non oportebat quod sub eo, qui habebat potestatem principalem alii pontifices distinguerentur. Sed Ecclesie ritus, sicut & Gentilium, per diversas nationes diffunditur: & ideo oportet quod quantum ad hoc magis Gentilium ritui quam Judæorum, status Ecclesie conformetur.

Ad tertium dicendum, quod potestas (4) Episcopi excedit à potestate Papæ quasi à potestate ejusdem generis: & ideo omnem actum hierarchicum quem potest facere Papa in ministracione sacramentorum, potest facere Episcopus; non autem omnem actum quem potest facere Episcopus, potest facere sacerdos in sacramentorum collatione: & ideo quantum ad ea quæ sunt episcopalis ordinis, omnes Episcopi sunt æquales, & propter hoc quilibet alium potest consecrare.

ARTICULUS III.

Utrum vestes ministrorum convenienter in Ecclesia instituta sint.

1. **A**D tertium sic proceditur. Videtur quod vestes ministrorum non convenienter in Ecclesia institutæ sint. Ministri enim novi testamenti magis tenentur ad castitatem quam ministri veteris. Sed inter alias vestes ministrorum veteris testamenti erant feminalia in signum castitatis. Ergo multo fortius nunc esse debent inter vestes ministrorum.

2. Præterea. Sacerdotium novi testamenti est dignius quam veteris sacerdotium. Sed veteres sacerdotes habebant mitras, quod est signum dignitatis. Ergo sacerdotes novæ legis eas debent habere.

(4) *Al. sacerdotis. (5) Al. ultimus.*

Ex EDIT. P. NICOL. (a) In Chrysostomo non occurrit; nisi quod hom. iiii. in Acta Apost. dicit: *Merito Petrus auctoritatem primus usurpat, ut qui omnes habeat in manu: ad hunc enim dicitur: Confirma fratres tuos. Et hom. lxxxviii. in Joan. Princeps Apostolorum erat Petrus, & cæus vertex. Hinc fratrum curam ei committit, &c.*

3. Præterea. Sacerdos est propinquior ordinibus ministrorum quam ordo episcopalis. Sed Episcopi utuntur vestibus ministrorum, scilicet dalmatica, quæ est vestis diaconi, & tunica, quæ est vestis subdiaconi. Ergo multo fortius simplices sacerdotes debent uti eis.

4. Præterea. In veteri lege pontifex deferebat superhumeralia, quod significabat ordo Evangelii, ut dicit Beda. Hoc autem maxime nostris Pontificibus incumbit. Ergo debent habere superhumeralia.

5. Præterea. In rationali quo utebantur pontifices veteris legis, scribebatur: *Doctrina, & veritas.* Sed veritas maxime in nova lege declarata est. Ergo Pontificibus novæ legis competit.

6. Præterea. Lamina aurea, in qua scriptum erat nomen Dei, erat dignissimum ornamentum veteris legis. Ergo illud maxime debuit transferri in novam legem.

7. Præterea. Ea quæ exterius geruntur in ministris Ecclesie, sunt signa interioris potestatis. Sed Archiepiscopus non habet altius generis potestatem quam Episcopus, ut dictum est. Ergo non debet habere pallium, quod non habent Episcopi.

8. Præterea. Potestatis plenitudo residet penes Romanum Pontificem. Sed ipse non habet baculum. Ergo nec alii Episcopi debent habere.

SOLUTIO

Respondeo dicendum, quod vestes ministrorum, ut supra dictum est, designant idoneitatem quæ in eis requiritur ad tractandum divina. Et quia quædam sunt quæ in omnibus requiruntur, & quædam quæ in superioribus: ideo quædam vestes sunt omnibus ministris communes, quædam autem superiorum tantum: & ideo omnibus ministris competit amictus, humeros regens, quo significatur fortitudo ad divina officia exequenda, quibus mancipantur. Et similiter alba, quæ significat puritatem vitæ, & cingulum, quod significat repressionem carnis. Sed subdiaconus (5) ulterius habet manipulum in sinistra, quo significatur extensio minimarum macularum, quia manipulus est quasi sudarium ad extergendum vultum: ipsi enim primo ad sacra tractanda admittuntur. Habent etiam tunicam strictam, per quam doctrina Christi significatur: unde & in veteri lege in ipsa tintinnabula pendeabant. Subdiaconi enim primo admittuntur ad doctrinam novæ legis annuntiandam. Sed diaconus habet amplius stolam in sinistro humero, in signum quod applicatur ad ministerium in ipsis sacramentis; & dalmaticam, quæ est vestis larga, sic dicta, quia in Dalmatiæ partibus primo usus ejus fuit, ad significandum quod ipse primo dispensator sacramentorum ponitur: ipse enim sanguinem dispensat; in dispensatione autem largitas requiritur. Sed sacerdoti stola in utroque humero ponitur, ut ostendatur quod plena potestas dispensandi sacramenta ei datur, non ut ministro alterius; & ideo stola descendit usque ad inferiora: habet etiam & catulam, quæ significat charitatem, quia sacramentum consecrat charitatis, scilicet eucharistiam. Sed Episcopi addunt novem ornamenta supra sacerdotes, quæ sunt caligæ, sandalia, succinctorium, tunica, dalmatica, mitra, chiroteca, anulus, & baculus; quia novem sunt quæ supra sacerdotem possunt, scilicet clericos ordinare, virgines benedicere, Basilicas dedicare, clericos deponere, Synodos celebrare, chrisma conficere, (1) confirmare, vestes, & vasa consecrare. Vel per caligæ significatur rectitudo gressuum: per sandalia, quæ pedes tegunt, contemptus terrenorum: per succinctorium, quo stola ligatur cum alba, amor honestatis: per tunicam perseverantia, quia Joseph tunicam talem habuisse legitur quasi descendentem usque ad talos, per quos significatur extremitas vitæ: per dalmaticam largitas in operibus misericordie: per chirothecas cautela in opere, per mirram scientia utriusque testamenti, unde & duo cornua habet: per baculum cura pastoralis, qua debet colligere vagos, quod significat curvitas in capite baculi; sustentare infirmos, quod significat ipse stipes baculi; sed pungere lentos, quod significat stimulus in pede baculi: unde versus:

QUÆSTIO III.

Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.
Per anulum sacramenta fidei qua Ecclesia desponsatur Christo: ipsi enim sunt Ecclesie sponsi loco Christi. Sed ulterius Archiepiscopi habent pallium in signum privilegiatæ potestatis: significat enim torquem auream quam solebant legitime certantes accipere.

Ad primum ergo dicendum, quod sacerdotibus veteris legis indicabatur continentia illo tantum tempore quo ad suum ministerium accedebant, & ideo in signum castitatis tunc servandæ in sacrificiorum oblatione feminalibus utebantur; sed ministris novi testamenti indicitur perpetua continentia: & ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod mitra illa non erat signum alicujus dignitatis: fuit enim sicut quoddam galerum, ut Hieronymus dicit, epist. ad Fabiolam, sed cydaris, quæ erat signum dignitatis, solis pontificibus dabatur, sicut & nunc mitra.

Ad tertium dicendum quod potestas ministrorum est in Episcopo sicut in origine; non autem in sacerdote, quia ipse non confert illos ordines: & ideo magis Episcopus quam sacerdos vestibus ministrorum utitur.

Ad quartum dicendum, quod loco superhumeralis utitur stola, quæ ad idem significandum est ad quod erat superhumeralia.

Ad quintum dicendum, quod pallium succedit loco rationalis.

Ad sextum dicendum, quod pro illa lamina habet Pontifex crucem, ut Innocentius, Lib. I. mysterio-

rum Missæ cap. liiii. dicit, sicut pro feminalibus habet sandalia, pro linea albam, pro baltheo cingulum, pro podere tunicam, pro ephod amictum, pro rationali pallium, pro cydari mitram.

Ad septimum dicendum, quod quamvis non habeat alterius generis potestatem, tamen eandem habet ampliolem; & ideo ad hanc perfectionem designandam sibi pallium datur, quo undique circumdatur.

Ad octavum dicendum, quod Romanus Pontifex non utitur baculo, quia Petrus misit ipsum ad suscitandum quemdam discipulum suum, qui postea factus est Episcopus Trevirensis; & ideo in dicecesi Trevirensi Papa baculum portat, & non in aliis: vel etiam in signum quod non habet coarctatam potestatem, quod curvatio baculi significat.

EXPOSITIO TEXTUS.

Nunc ad considerationem sacre ordinationis accedamus. Videtur quod male ordinetur: quia hoc sacramentum est ad dispensandum alia sacramenta, & ita ante alia deberet ordinari. Et dicendum, quod Magister ordinat secundum hoc ad quod ordinatur: & quia (2) bonum commune, ad quod ordinatur hoc sacramentum, præsupponit bonum persone, ad quod ordinatur præcedentia; ideo de hoc non debuit prius determinare.

In sacramento ergo septiformis Spiritus septem sunt gradus ecclesiastici. Adaptatio quædam est: quia in quolibet ordine omnia dona Spiritus Sancti dantur: quia Mathias electus est sorte, de quo Dionysius dicit v. cap. eccles. Hierar. „De divina sorte Mathias, data alii alia dixerunt, nec recte, ut existimo. Meum & ipse sensum dicam. Videtur enim mihi, Scriptura sortem nominasse divinum quoddam donum declarans Mathiam quasi divinam electione ostensum.“

Habiturus partem... cum his qui bene verbum Dei ministraverunt. Ergo habet omnis lector aureolam. Et dicendum, quod verum est, si impleat officium ut non solum legat, sed etiam interpretetur per prædicationem; quod tamen non videtur suum officium: & ideo etiam non dicit simpliciter, quod habeat illorum meritum, sed cum illis, in quantum aliquid de actu eorum participat.

Canones duos tantum sacros ordines appellari censent: propter hoc quod hi duo tantum ordines habent actum super ipsum sacramentum, sed subdiaconum super sacra vasa tantum.

DISTINCTIO XXV.

De ordinatis ab hæreticis.

SOlet etiam queri, si hæretici ab Ecclesia præcisi, & damnati possint tradere sacros ordines; & si ab eis ordinati redeunt ad Ecclesiam unitatem debeant reordinari. Hanc quæstionem perplexam, ac pene insolubilem faciunt doctorum verba, qui plurimum dissentire videntur. Videntur enim quidam tradere, hæreticos sacros ordines dare non posse, nec illos qui ab eis ordinantur, videntur gratiam recipere. Dicit enim Innocentius, (a) Arianorum clericos non videri suscipiendos cum sacerdotii, vel ministerii alicujus dignitate, quibus solum baptisma ratum esse permittit, quod in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti percipitur. Dicit etiam, eos non posse dare Spiritum Sanctum, quem amiserunt, & ordinatos ab hæreticis caput habere vulneratum, & eum qui honorem amisit, honorem dare non posse, nec illum aliquid accepisse: In IV. Sent. Tom. V.

(1) *Al. deest confirmare. (2) Al. hoc bonum.*

Ex EDIT. P. NICOLAI. (a) Nempe Innocentius I. in epist. xviii. ad Alexandrum scripta cap. liii. & refertur in decretis causa i. q. i. cap. Arianos.